



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Christiani Mayer E Societate Iesv, Diarivm
Meditationvm, De Præcipvis Vitæ Christi mysteriis**

Mayer, Christian

Coloniæ Agrippinæ, 1635

4. De Magnitudine gloriæ essentialis B. V. & medijs quibus eam est
consecuta

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60091](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60091)

IV. De magnitudine gloriae essentialis B. Virginis, & medijs quibus eam est consecuta.

I. **E**Xpende quam immensa, sublimis, & incomprehensibilis sit collata beatissimæ animæ Deiparæ essentialis beatitudo in visione, amore, & fruitione beatifica consistens, quæ æstimari potest. 1. Ex infinita Dei liberalitate in quibusvis iustorum obsequijs supra condignum remunerandis, iuxta illud: *Mensuram bonam, & confertam, & coagulatam, & supereffluentem dabunt in sinum vestrum. Si enim omnia iustorum etiam minima merita supra condignum remunerantur, quanto magis B. Matris penè innumerabilia & inæstimabilia? 2. Ex infinita iustitia Dei, quæ si in numero, pondere, & mensura singula meritoria opera iustorum, etiam minutissima usque ad haustum frigidæ indigenti porrectum æstimat, ponderat, & compensat, iuxta illud: *In qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis. Quanto magis maxima & perfectissima B. Virginis Matris penè in infinitum multiplicata obsequia? Ex præ eminentia sanctificantis gratiæ, quæ est semen gloriæ, quò enim illa in**

hac

hac vita fuit acquisita sublimior, tantò etiam gloria in altera ei correspondens reddetur excellentior. Qualis ergo reddita fuerit post mortem Deiparæ sublimitas gloriæ, cui tanta fuit instanti conceptionis infusa plenitudo sanctificantis gratiæ, quam tota deinceps vita in singula penè momenta tantis auxit incrementis? Unde non immerito nō pauci Theologi sentiunt collatam ipsi vni gloriam, omnium Sanctorum simul sumptorum gloriâ fuisse maiorem. Congratulatio, gratiarum actio, diuinæ liberalitatis collaudatio.

II. Quomodo tantam animæ beatitudinem promeruerit olim in terris,

1. Conando in singula penè momenta seipsa euadere sanctior, Deoque gratior, vt proinde omnes eius virtuosæ actiones ob solam dignitatem personæ euaserint quoque indies digniores.
2. Multiplicando actus meritorios tum internos, tum externos caritatis, & præcipuarum virtutum ex motiuo eiusdem charitatis.
3. Frequentando eosdem quàm intensissimos toto conatu, secundum omnem virtutem à Deo acceptam ex tota latitudine habitus acquisiti, &

non

non rarò etiam supra, accedente noua actuali gratia.

4. Exercenda eosdem circa obiecta maximè ardua, & superaddendo desideria longè vires excedentia.

5. Plerosque maximè meritorios virtutum actus, vt humilitatis, gratitudinis, amoris, resignationis, zeli gloriæ Dei & similes longo tempore, ferè tota vita continuando.

6. Omnia agendo & patièdo ex optima intentione tum aliarum virtutum, tum præcipuè purissimi amoris, honoris & beneplaciti Dei, in vnione infinitorum meritorum Filij. Congratulatio, zelus in his eam æmulandi.

III. Quomodo hanc tantam eius gloriã suspexerint sancti Angeli, æternumque susceperunt sint omnes Beati, diuinamque in ea liberalitatem & magnificentiã collaudaturi: & quã ineffabile gaudium ex participatione tantæ illius gloriæ percipienturi? Congratulatio, gratiarum actio, spes gaudij ex B. Virginis gloria participandi.

V. *De assumptione eiusdem quoad corpus.*

I. **C**ONsidera qua reuerentia & deuotione corpus eius sanctissimũ

ab